

De Pœnitentiæ Sacramento.

I.
Doctrina
pœnitentiæ
frequenter
inculcanda.

QUEMADMODUM humanæ naturæ fragilitas, et imbecillitas omnibus nota est, eamque in se ipso quisque facile experitur: ita, quantam habeat necessitatem pœnitentiæ sacramentum, ignorare nemo potest. Quod si diligentiam, quæ a Parochis in unoquoque argumento adhibenda est, ex rei, quam tractant, magnitudine, et pondere metiri oportet: omnino fatebimur, eos numquam in hujus loci explicatione adeo diligentes futuros esse, ut satis videri possit: quin etiam de hoc sacramento, quam de baptismo, eo accuratius agendum est, quod baptismus semel tantum administratur, nec iterari potest; pœnitentiæ vero toties locus datur, ejusque repetendæ toties necessitas imposita est, quoties post baptismum peccare contingat; ita enim a Tridentina Synodo dictum est, sacramentum pœnitentiæ non secus lapsis post baptismum, ac baptismum nondum regeneratis, ad salutem necessarium esse: ¹ vulgataque illa sancti Hieronymi sententia ab omnibus, qui deinceps res sacras tradiderunt, magnopere comprobatur, pœnitentiæ esse secundam tabulam.² Ut enim, confracta navi, unum vitæ servandæ perfugium reliquum est, si forte tabulam aliquam de naufragio liceat arripere: ita, post amissam baptismi innocentiam, nisi quis ad pœnitentiæ tabulam confugiat, sine dubio de ejus salute desperandum est. Hæc autem non ad Pastores solum, sed ad reliquos etiam fideles excitando dicta sint; ne forte in eis rei maxime necessariæ incuria reprehendatur. Primum enim communis fragilitatis memores omni studio optare debent, ut divina ope adjuti, sine casu, aut prolapto aliqua in via Domini progredi possint: quod si nonnunquam offenderint, tum vero summam Dei benignitatem intuentes, qui tamquam bonus Pastor ovium suarum vulnera obligare, eisque mederi solet,³ hoc saluberrimum pœnitentiæ medicamentum nunquam in aliud tempus differendum esse cogitabunt.

¹ Sess. XIV. cap. 2. — ² In Isa. III. 8.; epist. CXXX. 9. — ³ Ez. XXXIV. 16.

NOMEN. Ut autem rem ipsam aggrediamur, prius explicanda est varia hujus nominis potestas, et notio; ne aliquis ambiguitate vocis in errorem inducatur. Nonnulli enim pœnitentiæ pro satisfactione accipiunt. Alii, a Catholicæ fidei doctrina longissime remoti, cum arbitrentur pœnitentiæ nullam temporis præteriti rationem habere, nihil aliud quam novam vitam esse definiunt. Docendum est igitur, multiplicem esse hujus nominis significationem.

2.
Multi-
plex pœ-
nitentiæ
acceptio.

Primum enim pœnitentia de iis dicitur, quibus aliquid displicet, quod ante placuerat, nulla habita ratione hujus cogitationis, bonumne an malum fuerit. Sic omnes pœnitent, quorum tristitia secundum sæculum est, non secundum Deum: cujusmodi pœnitentia non salutem afferit, sed mortem.¹ Altera est pœnitentia, cum quis ex scelere admisso, quod quidem antea placebat, dolorem non Dei, sed sui ipsius causa concipit.² Tertia est, cum non solum admissi sceleris causa intimo animi sensu dolemus, vel ejus doloris externum etiam aliquod signum damus, verum unius Dei causa in eo mœrere sumus.³

Ac singulis quidem pœnitentiæ generibus, quæ commorata sunt, pœnitentiæ vox proprie convenit; nam cum in sacris litteris Deum pœnitere legimus, id per translationem dici perspicuum est. Eo enim loquendi genere, quod ad hominum mores accommodatum est, sacrae litteræ utuntur, cum Deum mutare aliquid constituisse declarant; quod non aliter facere videatur, quam homines, quos si alicujus rei pœniteat, eam commutare omni studio laborant. Sic ergo scriptum est, pœnituisse eum, quod hominem fecisset;⁴ et alio loco, quod Saul regem constituisset.⁵

Verum inter has pœnitentiæ significaciones magnum discrimen observare oportet. Prima enim in vitio ponenda est: altera est quædam commotio, et perturbati animi affectio: tertiam tum ad virtutem pertinere, tum sacramentum esse dicimus, quæ significatio hujus loci propria est.

3.

PŒNITENTIA VIRTUS. Ac primum quidem de ipsa, ut virtutis parte, agendum est; non solum, quia fidelis populus ad

¹ 2. Cor. VII. 10. — ² Matt. XXVII. 3. — ³ Joel. II. 12. — ⁴ Gen. VI. 6. — ⁵ I. Reg. XV. 11.

omne virtutis genus institui a Pastoribus debet; sed etiam, quia hujus virtutis actiones tanquam materiam praebent, in qua poenitentiae sacramentum versatur; ac nisi prius, quae sit poenitentiae virtus, recte intelligitur, sacramenti etiam vim ignorari necesse est.

4.
Poenitentia est detestatio et odium peccati cum propositione peccandi.

QUARE imprimis monendi, hortandique sunt fideles, ut omni contentione, et studio in intima animi poenitentia, quam virtutem dicimus, elaborent; sine qua ea, quae extrinsecus adhibetur, parum admodum profutura est. Intima autem poenitentia est illa, cum ad Deum nos ex animo convertemus, et commissa a nobis scelera detestamur, et odio habemus: simulque illud nobis certum, et deliberatum est, malam vitae consuetudinem, corruptosque mores emendare non sine spe veniae a Dei misericordia consequendae. Hanc vero dolor, et tristitia, quae perturbatio, et affectio est, et passio a multis vocatur, consequitur, veluti comes peccatorum detestationi adjuncta; quamobrem apud complures ex sanctis Patribus poenitentiae definitio hujusmodi animi cruciatu declaratur. Verum in eo, quem poenitet, fides poenitentiam antecedat, necesse est: neque enim potest quisquam se ad Deum convertere, qui fide caret; ex quo fit, ut nullo modo poenitentiae pars recte dici possit.

5.
Poenitentia est virtus.

QUOD autem intima haec poenitentia, ut antea diximus, ad virtutem pertineat, aperte ostendunt multa, quae de poenitentia tradita sunt, praecepta.¹ Lex enim de iis tantum actionibus, quae suscipiuntur cum virtute, præcipit. Negare præterea nemo potest, quin dolere, quando, quo modo, et quatenus oportet, vitutis sit; hoc autem ut recte fiat, poenitentiae virtus præstat. Interdum enim evenit, ut ex admissis sceleribus minorem, quam par est, dolorem homines capiant; quin etiam, ut a Salomone scriptum est,² nonnulli sunt, qui cum male fecerint, lætantur; rursus vero alii ita se mœrori animi, et ægritudini dedunt, ut de salute etiam prorsus desperent: qualis fortasse Cain videri potest, qui ait: Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear:³ et qualis certe

¹ Matt. III. 2. IV. 17.; Marc. I. 4. 15.; Luc. III. 3.; Act. II. 38. — ² Prov. II. 14. — ³ Gen. IV. 13.

Judas fuit, qui poenitentia ductus suspendio vitam, et animam amisit.¹ Ut igitur modum in dolore tenere possimus, poenitentiae virtute adjuvamur. Sed idem etiam ex iis rebus colligi potest, quas sibi tanquam finem proponit is, quem vere peccati poenitet. Primum autem hoc ei propositum est, ut peccatum aboleat, omnemque animæ culpam, et maculam abstergat. Alterum est, ut pro sceleribus admissis Deo satisficiat: quod quidem ad justitiam referri perspicuum est. Nam etsi inter Deum et homines, propria justitiae ratio intercedere non potest, cum tam longo intervallo inter se distent; aliquam tamen esse justitiam constat, cuiusmodi est inter patrem, et filios, inter dominum, et servos. Tertium est, ut homo in Dei gratiam redeat, in cujus offensionem, et odium propter peccati foeditatem incurrit. Haec vero omnia satis declarant, poenitentiam ad virtutem spectare.

6.

SED docendum est etiam, quibus gradibus ad hanc divinam virtutem liceat ascendere.

Gradus ad poenitentiam.

Primum itaque Dei misericordia nos prævenit, cordaque nostra ad se convertit. Quod cum precaretur Propheta: Converte, inquit, nos Domine ad te, et convertemur.² Deinde hoc lumine illustrati per fidem ad Deum animo tendimus. Credere enim oportet accendentem ad Deum, ut Apostolus testatur, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.³ Præterea motus timoris consequitur, et suppliciorum acerbitate proposita, animus a peccatis revocatur; atque huc videntur spectare illa Isaiae verba: Sicut quæ concipit, cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus.⁴ Huc deinde accedit spes impetranda a Deo misericordiae, qua erecti vitam, et mores emendare constituimus. Postremo charitate corda nostra accenduntur, ex qua liberalis ille timor, probis, et ingenuis filiis dignus, oritur; atque ita unum illud veriti, ne qua in re Dei majestatem lædamus, peccandi consuetudinem omnino deserimus.

7.

Hisce igitur quasi gradibus ad hanc præstantissimam poenitentiae virtutem pervenitur: quæ prorsus divina et cælestis virtus existimanda est; cui scilicet regnum cælorum

Poenitentia excellentia.

¹ Matt. XXVII, 3. Act. I, 18. — ² Thren. V, 21. — ³ Heb. XI, 6. — ⁴ Isa. XXVI. 17.

CAT. TRID. — 14

sacrae litterae pollicentur; nam apud sanctum Matthæum scriptum est: Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum;¹ et apud Ezechiëlem: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium, et justitiam: vita vivet;² tum alio loco: Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, et vivat;³ quod quidem æterna et beata vita intelligendum esse, plane constat.

8

PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM. De externa vero pœnitentia docendum est, eam esse, in qua sacramenti ratio consistit, habereque externas quasdam res sensibus subiectas, quibus declarantur ea, quæ interius in anima fiunt.

*Ratio institutio-
nis sacra-
menti pœ-
nitentiae.*

In primis autem explanandum fidelibus videtur, quare factum sit, ut Christus dominus pœnitentiam in numerum sacramentorum referri voluerit. Hujus autem rei omnino causa fuit, ut nobis de remissione peccatorum, quam Deus pollicitus est, cum ait: Si impius egerit pœnitentiam,⁴ etc. minus dubitare licet; vehementer enim pendere animo de intima pœnitentia opus esset, cum de suo cuique judicio in iis, quæ agit, merito timendum sit. Ut igitur Dominus huic nostræ sollicitudini subveniret, pœnitentiæ sacramentum instituit, quo per sacerdotis absolutionem, peccata nobis remissa esse confideremus, conscientiæque nostræ ob fidem, quæ sacramentorum virtuti merito habenda est, pacatores redderentur. Neque enim aliter accipienda ex vox sacerdotis, peccata nobis legitime condonantis, quam Christi domini, qui ait paralytico: Confide fili: remittuntur tibi peccata tua.⁵ Deinde vero, cum nemo salutem, nisi per Christum, ejusque passionis beneficio, consequi possit, consentaneum, nobisque utilissimum fuit, ejusmodi sacramentum institui, cuius vi, et efficientia Christi sanguis ad nos defluens, peccata post baptismum admissa elueret, atque ita reconciliationis beneficium illi uni Salvatori nostro acceptum referre profiteremur.

9.
*Sacra-
menti
existen-
tia.*

QUOD vero pœnitentia sacramentum sit, Pastores ita facile ostendunt: ut enim baptismus sacramentum est, quia pec-

¹ Matt. III. 2. IV. 17. — ² Ez. XVIII. 21. — ³ Ez. XXXIII. 21. — ⁴ Ez. XVIII. 21. — ⁵ Matt. IX. 2.

cata omnia, ac præsertim quod origine contractum fuit, delet: eadem ratione pœnitentia, quæ peccata omnia post baptismum voluntate, vel actione suscepta tollit, vere, et proprie sacramentum dicendum est. Deinde, quod caput est, cum illa, quæ extrinsecus tum a pœnitente, tum a sacerdote fiunt, declarant ea, quæ interius efficiuntur in anima, quis neget, pœnitentiam vera, et propria sacramenti ratione prædictam esse? siquidem sacramentum sacræ rei signum est: peccator autem, quem pœnitet, rerum, et verborum notis plane exprimit, se animum a peccati turpitudine abduxisse; itemque ex iis, quæ a sacerdote geruntur, et dicuntur, misericordiam Dei peccata ipsa remittentis, facile cognoscimus. Quamquam hoc aperte indicant illa Salvatoris verba: Tibi dabo claves regni cælorum: et quocumque solveris super terram, erit solutum et in cælis.¹ Absolutio enim, sacerdotis verbis enunciata, remissionem illam peccatorum signat, quam in anima efficit.

NEQUE vero solum fideles docendi sunt, pœnitentiam in numero sacramentorum habendam esse, sed eorum etiam, quæ iterari possunt. Quærenti enim Petro, num septies venia peccati danda esset, Dominus respondit: Non dico tibi usque septies; sed usque septuages septies.² Quare si cum ejusmodi hominibus agendum sit, qui summæ Dei bonitati, et clementiæ diffidere videantur, confirmandus erit illorum animus, atque ad spem divinæ gratiæ erigendus. Quod quidem facile consequentur tum hujus loci, et aliorum tractatione, qui in sacris litteris permulti occurrent: tum vero iis rationibus, et argumentis, quæ ex sanctorum Chrysostomi libro de lapsis, Ambrosii libris de pœnitentia petere licebit.

10.
Iteratio.

MATERIA. Jam, quoniam nihil fideli populo notius esse debet, quam hujus sacramenti materia, docendum est, in eo maxime hoc sacramentum ab aliis differre, quod aliorum sacramentorum materia est res aliqua naturalis, vel arte effecta; sacramenti vero pœnitentiæ quasi materia sunt actus pœnitentis, nempe contritio, confessio, et satisfactio, ut a Tridentina Synodo declaratum est:³ qui quatenus in pœnitente, ad

12.

*Materia
pœnitentiæ sunt
actus pœ-
nitentis,*

¹ Matt. XVI. 19. — ² Matt. XVIII. 22. — ³ Sess. XIV. de pœnit. c. 3. et can. 4.

*et aliquo
sensu pec-
cata.*

integritatem sacramenti, et plenam, ac perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes poenitentiae dicuntur. Neque vero hi actus quasi materia a sancta Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant, sed quia ejus generis materia non sint, quæ extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo, et chrisma in confirmatione. Quod autem ab aliis dictum est, peccata ipsa hujus sacramenti materiam esse; nihil plane diversum dici videbitur, si diligenter attendamus. Ut enim ignis materiam ligna esse dicimus, quæ vi ignis consumuntur: ita peccata, quæ poenitentia delentur, recte hujus sacramenti materia vocari possunt.

*13.
Forma
sacra-
menti po-
nitentiae
sunt ver-
ba:
Ego te
absolvo;*

FORMA. Sed formæ etiam explicatio Pastoribus prætermittenda non est, quod ejus rei cognitio excitet fidelium animos ad percipiendam summa cum religione hujus sacramenti gratiam; est autem forma: Ego te absolvō; quam non solum ex illis verbis licet colligere: Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo;¹ sed ex eadem Christi domini doctrina ab Apostolis traditam accepimus. Ac quoniam sacramenta id significant, quod efficiunt, illa, Ego te absolvō, ostendunt peccatorum remissionem hujus sacramenti administratione effici; planum est, hanc esse poenitentiae perfectam formam; sunt enim peccata tamquam vincula, quibus constrictæ animæ tenentur, et ex quibus poenitentiae sacramento laxantur; quod quidem non minus vere de illo etiam homine sacerdos **pronuntiat**, qui prius ardentissimæ contritionis vi, accidente **tamen** confessionis voto, peccatorum veniam a Deo consecutus sit. Adduntur præterea complures preces, non quidem ad **formam** necessariæ, sed ut ea removeantur, quæ sacramenti **vim**, et efficientiam illius culpa, cui administratur, impedire possent.

*14.
ex qua
forma
intelligi-
tur quam
ampia po-
testas sa-
cerdotibus colla-
ta sit:*

Quamobrem peccatores Deo ingentes gratias agant, qui tam amplam potestatem in Ecclesia sacerdotibus tribuerit. Neque enim, ut olim in **veteri lege**, sacerdotes testimonio suo aliquem a lepra liberatum esse, dumtaxat renuntiabant;² ita nunc in Ecclesia ea **tantum** potestas sacerdotibus facta est, ut aliquem peccatis **absolutum** esse declarent: sed vere

¹ Matt. XVIII. 18. — ² Levit. XIII.

tanquam Dei ministri absolvunt; id quod Deus ipse, gratiæ et justitiæ auctor, ac parens, efficit.

Diligenter vero ritus etiam, qui ad hoc sacramentum adhibentur, fideles observabunt. Ita enim fiet, ut animo magis habeant, quæ hoc sacramento consecuti sunt, nimurum se tanquam servos clementissimo domino, vel filios potius optimo parenti reconciliatos esse: et simul facilius intelligent, quid eos facere oporteat, qui velint (velle autem omnes debent) se tanti beneficij gratos, et memores probare; nam quem peccatorum poenitet, is se humili, ac demisso animo ad pedes sacerdotis dejicit; ut, cum se tam humiliter gerat, facile possit agnoscere, superbiæ radices evelendas esse, a qua omnia scelera quæ deflet, ortum habuerint, et enata sint. In sacerdote autem, qui in eum legitimus judex sedet, Christi domini personam, et potestatem veneratur. Sacerdos enim, quemadmodum in aliis, ita in poenitentiae sacramento administrando Christi munus exequitur. Deinde peccata sua poenitens ita enumerat, ut se maxima, et acerbissima animadversione dignum esse fateatur; supplexque delictorum veniam petit; quæ sane omnia vetustatis suæ certissima testimonia a S. Dionysio habent.¹

EFFECTUS. Sed nihil profecto tam proderit fidelibus, nichilque majorem illis alacritatem poenitentiae suscipiendæ afferet, quam si a Parochis sæpe explicatum fuerit, quantam ex ea utilitatem capiamus; vere enim de poenitentia illud dici posse intelligent, ejus quidem radices amaras, fructus vero suavissimos esse.

Poenitentiae itaque omnis in eo vis est, ut nos in Dei gratiam restituat, cum eoque summa amicitia conjungat. Hanc vero reconciliationem interdum in hominibus piis, qui hoc sacramentum sancte, et religiose percipiunt, maxima conscientiae pax, et tranquillitas cum summa spiritus jucunditate consequi solet; nullum est enim tam grave, et nefarium scelus, quod poenitentiae sacramento non quidem semel, sed iterum, et saepius non deleatur. Qua de re ita Dominus per Prophetam inquit: Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et

*15.
huic re-
spondere
debet ha-
bitus hu-
milis in
pœnitente.*

16.

*Pœnitentia in Dei
gratiam
restituit,*

*omnia
peccata
delet.*

¹ Epist. VIII. § 1.

custodierit præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam : vita vivet, et non morietur. Omnia iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.¹ Et sanctus Joannes : Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra.² Et paulo post : Si quis peccaverit, inquit, nullum videlicet peccati genus excipiens, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum : et ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.³ Quod autem in Scripturis legimus, quosdam a Domino misericordiam non esse consecutos,⁴ quamvis eam vehementer imploraverint; id vero idcirco factum esse intelligimus, quod eos vere, atque ex animo delictorum non poenitebat. Quare cum ejusmodi sententiæ in sacris litteris, vel apud sanctos Patres occurunt, quibus videntur affirmare aliqua peccata remitti non posse;⁵ ita eas interpretari oportet, ut difficilem admodum esse venia impetrationem intelligamus. Ut enim morbus aliquis ea re insanabilis dicitur, quod ægrotus ita affectus sit, ut salutaris medicinae vim oderit : sic quoddam est peccati genus, quod non remittitur, nec condonatur, propterea quod proprium salutis remedium, Dei gratiam repellit. In hanc sententiam a D. Augustino dictum est : Tanta labes est illius peccati, cum post agnitionem Dei per gratiam Christi oppugnat aliquis fraternitatem, et adversus ipsam gratiam invidiae facibus agitatur, ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiamsi peccatum mala conscientia agnoscere, et annuntiare cogatur.⁶

17.

Sine poenitentia peccatorum nulla remissio.

Sed, ut ad poenitentiam revertamur, hæc adeo propria ejus vis est, ut peccata deleat, ut sine poenitentia remissionem peccatorum impetrare, aut ne sperare quidem ullo modo liceat; scriptum est enim : Nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis;⁷ quod quidem de gravioribus, et mortiferis peccatis dictum a Domino est : etsi aliquo etiam poenitentia genere indigent leviora peccata, quæ venialia vocantur. Sanctus enim Augustinus inquit : Cum quædam sit poenitentia, quæ quotidie in Ecclesia pro peccatis venialibus agitur, illa

¹ Ez. XVIII. 21. — ² I. Joan. I. 9. — ³ I. Joan. II. 1. 2. — ⁴ 2. Mach. IX. 13.; Heb. XII. 17. — ⁵ I. Reg. II. 25.; Matt. XII. 31.; Heb. VI. 4. X. 26. — ⁶ Lib. I. de ser. Dom. in monte. c. XXII. n. 73 et 74. — ⁷ Luc. XIII. 3.

sane frustra esset, si peccata venialia absque poenitentia dimitti possent.¹

PARTES CONSTITUTIVÆ. Sed quoniam de iis rebus, quæ aliquo modo in actionem cadunt, non satis est universe loqui; curabunt Pastores sigillatim ea tradere, ex quibus veræ, et salutaris poenitentia ratio a fidelibus percipi queat.

Est autem hujus sacramenti proprium, ut præter materiam, et formam, quæ omnibus sacramentis communia sunt, partes etiam, ut antea diximus, illas habeat, quæ tanquam totam; integrumque poenitentiam constituant, contritionem scilicet, confessionem, et satisfactionem : de quibus D. Chrysostomus his verbis loquitur : Poenitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre : in corde ejus contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas, vel fructifera satisfactio.² Hæ autem partes ex earum partium genere esse dicuntur, quæ ad aliquod totum constituendum necessariae sunt : quoniam, quemadmodum hominis corpus ex pluribus membris constat, manibus, pedibus, oculis, et aliis hujusmodi partibus, quarum aliqua si desit, merito imperfectum videatur; perfectum vero, si nulla desideretur : eodem etiam modo poenitentia ex hisce tribus partibus ita constituitur, ut, quamvis, quod ad ejus naturam attinet, contritio et confessio, quibus homo justus efficitur, satis sit; tamen nisi tertia etiam pars, id est satisfactionio, accedit, aliquid ei omnino ad perfectionem desit, necesse sit. Quare adeo inter se hæc partes connexæ sunt, ut contritio confitendi, et satisfaciendi consilium, et propositum inclusum habeat; confessionem contritio, et satisfaciendi voluntas, satisfactionem vero duæ reliquæ antecedant.

Harum autem trium partium eam rationem afferre possumus, quod animo, verbis, et re ipsa peccata in Deum committantur. Quare consentaneum fuit, ut nos ipsos Ecclesiæ clavibus subjicientes, quibus rebus Dei sanctissimum nomen a nobis violatum esset, iisdem etiam ejus iram placare, et peccatorum veniam ab eo impetrare conaremur. Sed idem etiam alio argumento confirmari potest. Etenim poenitentia est veluti quædam delictorum compensatio, ab ejus volun-

18.
Contritio, confessio, satisfactio sunt partes penitentiam constituentes, inter se omnino connexæ.

19.
Earum intimatio.

¹ Epist. CCLXV. n. 8. Serm. CCCLI. c. 3. n. 4. 5. 6. — ² Ap. Grat. p. 2. c. XXXIII. q. 5. dist. I. c. 40.

tate profecta, qui deliquit, ac Dei arbitrio, in quem peccatum commissum est, constituta. Quare et voluntas compensandi requiritur, in quo maxime contritio versatur; et poenitens sacerdotis judicio, qui Dei personam gerit, se subjiciat, necesse est; ut pro scelerum magnitudine poenam constituerre in eum possit: ex quo tum confessionis, tum satisfactio-
nis ratio, et necessitas perspicitur.

20

CONTRITIO. Quoniam vero harum partium vim, et natu-
ram tradere fidelibus oportet; prius incipiendum est a contritione, eaque diligenter explicanda; neque enim ad ullum tem-
poris punctum, cum in memoriam præterita peccata redeunt, vel cum aliquid offendimus, contritione animus debet vacare.

Hanc Patres in Concilio Tridentino ita definiunt: *Contri-
tio est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum
proposito non peccandi de cetero.*¹ Et paulo post, de contritionis motu subjicitur: *Ita demum preparat ad remissionem
peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, et voto præ-
standi reliqua conjunctus sit, quæ ad rite suscipiendum hoc
sacramentum requiruntur.* Ex hac itaque definitione intelligent fideles, contritionis vim in eo tantum positam non esse, ut quis peccare desinat; aut propositum ei sit, novum vitæ genus instituere, aut ipsum jam instituat: sed imprimis male actæ vitæ odium, et expiationem suscipiendam esse. Id vero maxime confirmant illi sanctorum Patrum clamores, quos in sacris litteris frequenter perfusos esse legimus: *La-
boravi, inquit David, in gemitu meo, lavabo per singulas no-
ctes lectum meum.* Et: *Exaudivit Dominus vocem fletus
mei.*² Et rursus aliis: *Recogitabo tibi omnes annos meos in
amaritudine animæ meæ.*³ Quas certe, et alias hujusmodi vo-
ces vehemens quoddam anteactæ vitæ odium, et peccatorum detestatio expressit.

Quod autem contritio dolore definita est, monendi sunt fideles, ne arbitrentur eum dolorem corporis sensu percipi. Contritio enim est voluntatis actio. Et sanctus Augustinus testatur, dolorem poenitentiae comitem esse, non poenitentiam.⁴ Verum peccati detestationem, et odium doloris vocabulo Patres significarunt; tum quia sacræ litteræ ita utuntur;

*Contri-
tio est ante-
actæ vita
odium, et
peccato-
rum dete-
statio.*

¹ Sess. XIV. c. 4. — ² Psalm. VI. 7. 9. — ³ Isa. XXXVIII. 15. — ⁴ Serm. CCCLI. c. I.

inquit enim David: *Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?*¹ tum quia dolor in inferiori animæ parte, quæ vim concupiscendi habet, ex ipsa contritione oritur; ut non incommodè contritio dolore definita fuerit, quod dolorem efficiat, ad eumque declarandum poenitentes vestem etiam mutare soliti sint. De quo Dominus apud sanctum Matthæum inquit: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro, et Sidone factæ essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent.*²

Recte autem contritionis nomen peccati detestationi, de qua loquimur, ad significandam vim doloris impositum est, ducta similitudine a rebus corporeis, quæ minutatim saxo, aut duriore aliqua materia confringuntur: ut eo vocabulo declararetur, corda nostra, quæ superbia obduruerunt, poenitentiae vi contundi, atque conteri. Quare nullus alias dolor vel ex parentum et filiorum obitu, vel cuiusvis alterius calamitatis causa susceptus, hoc nomine appellatur: sed illius tantum doloris proprium est nomen, quo ex amissa Dei gratia, atque innocentia afficimur.

Verum aliis quoque vocabulis eadem res declarari solet; nam et contritio cordis dicitur: quia cordis nomen frequenter sacræ litteræ pro voluntate usurpant;³ ut enim a corde motionum corporis principium sumitur: ita voluntas reliquas omnes animæ vires moderatur, ac regit. Vocatur etiam a S. Patribus cordis compunctionis, qui libros de contritione conscriptos, de compunctione cordis inscribere maluerunt.⁴ Etenim quemadmodum ferro tumida ulceræ secantur, ut inclusum virus possit erumpere; ita corda, quasi scalpello contritionis adhibito, inciduntur, ut peccati mortiferum virus queant ejicere; quare et scissio cordis a Joële Propheta appellata est: *Convertimini, inquit, ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu.* Et scindite corda vestra.⁵

21.
*Ratio no-
minis.*

*Aliæ rei
appella-
tiones.*

22.
*Contri-
tio
summa,*

SUMMUM vero et maximum dolorem ex peccatis, quæ commissa sunt, suscipiendum esse, ita ut nullus major ex cogitari possit, facile erit hisce rationibus demonstrare; nam cum perfecta contritio sit charitatis actio, quæ ab eo ti-

¹ Psalm. XII. 2. — ² Matt. XI. 21. Luc. X. 13. — ³ Matt. V. 8.; Luc. XXIV. 25. — ⁴ Chrys. lib. II. Ephr. Serm. Isidor. Sent. I. II. c. 12. — ⁵ Joël. II. 12.

more, qui filiorum est, proficiscitur; patet eumdem charitatis, et contritionis modum statuendum esse: at quoniam charitas, qua Deum diligimus, perfectissimus est amor, hinc fit, ut contritio vehementissimum animi dolorem conjunctum habeat; ut enim maxime diligendus est Deus: ita, quæ nos a Deo alienant, maxime detestari debemus. In quo etiam illud observandum est, eodem loquendi genere, charitatis, et contritionis magnitudinem in sacris litteris significari. De charitate dictum est: Diliges dominum Deum ex toto corde tuo.¹ Rursus, quod ad contritionem pertinet, clamat Dominus per Prophetam: Convertimini in toto corde vestro.² Præterea, si, uti Deus summum bonum est inter omnia, quæ diligenda sunt, ita etiam peccatum summum est malum inter omnia, quæ odisse homines debent, illud sequitur, ut quam ob causam Deum summe diligendum esse confitemur, ob eamdem rursus peccati summum odium nos capiat necesse sit. Omnibus vero rebus Dei amorem anteponendum esse, ita ut ne vitæ quidem conservandæ causa peccare liceat, aperte nos docent illa Domini verba: Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus:³ et qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam.⁴ Sed illud etiam animadvertisendum est, ut quemadmodum, sancto Bernardo teste, nullus finis et modus charitati præscribitur. (Modus enim, inquit ille, diligendi Deum est, ipsum diligere sine modo):⁵ ita peccati detestationi nullus modus definiatur.

23.
vehemen-
tissima:

Sit præterea non solum maxima, sed vehementissima, atque adeo perfecta, omnemque ignaviam, et socordiam excludat. Etenim in Deuteronomio scriptum est: Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ;⁶ et apud Hieremiam: Quæreris me, et invenietis: cum quæsieritis me in toto corde vestro. Et inveniar a vobis, ait Dominus.⁷

24.
contritio
etsi non
tanta, ve-
ra tamen
est.

Quamquam si id minus consequi nobis liceat, ut perfecta sit, vera tamen et efficax contritio esse potest; sæpe enim usu venit, ut, quæ sensibus subjecta sunt, magis quam spiritualia nos afficiant. Quare nonnulli interdum majorem ex

¹ Deut. VI. 5. Matth. XXII. 37: Marc. XII. 30. Luc. X. 27. — ² Joël. II. 12. — ³ Matt. X. 37. — ⁴ Matt. XVI. 25. Marc. VIII. 35. — ⁵ De dilig. Deo, c. I. — ⁶ Deut. IV. 29. — ⁷ Hier. XXIX. 13.

filiorum obitu, quam ex peccati turpitudine doloris sensum capiunt. Idem etiam judicium faciendum est, si lacrymæ doloris acerbitatem non consequantur: quæ tamen in pœnitentia summopere optandæ, et commendandæ sunt; præclara est enim ea de re sancti Augustini sententia: Non sunt, inquit, in te Christianæ charitatis viscera, si luges corpus, a quo recessit anima; animam vero, a qua recessit Deus, non luges.¹ Atque hoc spectant illa Salvatoris nostri verba, quæ supra allata sunt: Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaïda: quia si in Tyro et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere, et cilicio poenitentiam egissent.² Tametsi ad eam rem comprobandum satis esse debent clarissima Ninivitarum,³ Davidis,⁴ Peccatricis,⁵ apostolorum Principis⁶ exempla, qui omnes plurimis lacrymis Dei misericordiam implorantes, peccatorum veniam impetrarunt.

Maxime autem hortandi, et monendi sunt fideles, ut ad singula mortalia crimina proprium contritionis dolorem adhibere studeant; ita enim Ezechias contritionem describit, cum ait: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ;⁷ etenim, recogitare omnes annos, est, sigillatim peccata excutere, ut ea ex animo doleamus. Sed apud Ezechiem quoque scriptum legimus: Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, vita vivet.⁸ Atque in hanc sententiam S. Augustinus inquit: Consideret peccator qualitatem criminis in loco, in tempore, in varietate, in persona.⁹ Neque tamen hac in re desperent fideles de summa Dei bonitate, et clementia: is enim, cum nostræ salutis cupidissimus sit, nullam moram ad tribuendam nobis veniam interponit, sed peccatorem paterna charitate complectitur, simul atque ille se collegerit, et universe peccata sua detestatus, quæ deinde alio tempore, si facultas erit, singula in memoriam reducere, ac detestari in animo habeat, ad Dominum se converterit; ita enim nos per Prophetam jubet sperare, cum inquit: Impietas impii non nocebit ei, in quamcumque die conversus fuerit ab impietate sua.¹⁰

25.
*Singula
peccata
mortalia
contritio-
ne dete-
stanta.*

¹ Serm. LXV. c. 6. — ² Matt. XI. 21. — ³ Jon. III. 5.; Matt. XII. 41. — ⁴ Ps. VI. 7. — ⁵ Luc. VII. 37. — ⁶ Matt. XXVI. 75. — ⁷ Is. XXXVIII. 15. — ⁸ Ez. XVIII. 21. — ⁹ Auct. lib. De vera et falsa poen. c. XIV. — ¹⁰ Ez. XXXIII. 12.